LITERÆ ENCYCLYCÆ

Ad

Clerum Regularem Archidiaconatûs Varsaviensis.

Anno Domini 1782.

GASPAR COLUMNA
CIECISZOWSKI

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Tebeſtanus, Coadjutor Kijovienſis & Czerniechovienſis, Præpoſitus Commendatarius Miechovienſis, Vicarius in ſpiritualibus & Officialis Varſavienſis ac per Ducatûm Maſoviæ Generalis, Ordi: S. STANISLAI Eques.

Admodum Reverendis in Chriſto Patribus Communitatum Religioſarum Superioribus totiqué Clero Regulari Archidiaconatûs Varſaviensîs ſalutem in Domino.

Quum neutiquam ignoremus (liceat Nobis tantisper verbis Sac: Con: Trid: uti) (*a*) quantúm ex Monaſteriis pié inſtitutis & recte adminiſtratis in Eccleſia DEI ſplendoris atqué utilitatis oriatur, opportunum eſſe cenſuimus & pro munere, quod Nobis incumbit, & pro poteſtate, qua vi officii fungimur etiam ad Religioſos cætus ſollicitudinem Noſtram extendere, ut & Regularis di-

 ſcipli-

(*a*) *Seſſ:* 25.

ſciplina fideliter obſervata conſtantiùs perſeveret, & ſi quæ animadverſione digna occurrant, maturiùs paterna monitione emendentur.

Memineritis itaqué Fratres Dilectiſſimi omnium Religioſarum communitatum, quæ hodiedum in ſinu Eccleſiæ foventur, ſcopum non alium eſſe, quàm propriam impigré curare perfectionem, tranquilla mente, animoqué puró Omnipotentem DEUM pro populo orare, omnibuſqué bonis operibus prælucere, ut plebs Chriſtiana veſtris exemplis accenſa ac inflammata Patrem luminum glorificet, veſtriſquè orationibus ſuffulta ſalutem ſuam in nomine Domini operetur.

Enimverò an non ideò Divina miſericordia vocati deſeruiſtis mundum, ut amota mentis caligine, quam infauſte humana ſapientia animo obducere ſolet, facilius cæleſtia contemplari valeatis, ruptis paſſionum vinculis, iter, quo ad virtutis faſtigium properatur, planius vobis reddatis, ac ſublatis obſtaculis, ſuperatis

peri-

periculis, disjectisqué impedimentis, quibus Amatores ſæculi retinentur, non modo fideliùs Divina obſervetis mandata, verùm etiam exactius Evangelica adimpleatis conſilia.

Domicilia itaqué veſtra ſint Pietatis ac Virtutis officinæ, intenſi ſpiritûs, quo olim Patres noſtri primis naſcentis Eccleſiæ ſæculis accendebantur, receptacula, Apoſtolicæ vitæ noſtris infeliciter ſæculis frigeſcentibus exhibeant normam & exemplar. Jn acquirendis virtutibus, quæ eximia ſunt animæ Chriſtianæ ornamenta, totis viribûs incumbite; procul abſit umbra ſuperbiæ & vanitatis prurigo ab iis, qui à JESU Chriſto diſcere cordis humilitatem imprimis invitantur (*b*). Nihil in opere admittatur hujusmodi, quod ad regulas honeſtatis non ſit exactum & exteriori modeſtiæ non accomodatum: Cumqué domiciliis a contagione mundi ſegregati continuo adverſùs corruptelas & pericula ſæculi inſurgatis,

(*b*) *Math.* 11. ỳ. 29.

nulla vos ratione mundanos mundiquè asseclas exhibete. Sub signis Dni: stipendia mæreri constituistis, ast nemo, teste Apostolo (*c*) militans DEO negotia sæcularia prosequitur, nimirum, ut ei placeat, cui se probavit. Strenuè admovistis manus Aratro, perhonorifica cælestis Patris familias ad laborandum in ejus vinea voce invitati, ast nemo mittens manum ad aratrum & respicens retro juxta Oraculum Christi (*d*) aptus est regno DEI.

Mundus vobis, ut quondam Doctori Gentium per Christum crucifixus est, vos quoquè illius prementes vestigia Mundo (*e*) crucifixi, toto pectore cælestia appetite, ne dum temporalia aucupari videminor, æterna amittendi subeatis periculum.

Ostendite vos esse discipulos JESU Christi mutuam charitatem atquè dilectionem

nem

(*c*) 2. *ad Timoth*, 2. *v*. 4.
(*d*) *Lucæ* 9. *v*. 26.
(*e*) *ad Galat*. 6. *v*. 14.

nem inviolabiliter custodientes, ea velut sanctissimis characteribus insigniti, qui omnium perstringunt oculos, ac de hac veritate reddunt persvasos (*f*) & dum mundus procellis bellorum, dissidiorum, litium, altercationum, simultatumqué, quæ ex concupiscentiis oriuntur (g) indesinenter concutitur, pace, quam prioribus reliquit (*h*) ad posteros transmittenda perfruamini, & DEUS pacis sit cum omnibus vobis (*i*).

Non sit in vobis delictum, cui tantopere indoluit Paulus ad Corinthios scribens (*k*) ut judicia habeatis, & audeat quispiam fraudare potiùs & injuriam facere fratribus, quàm ab aliis pati ac accipere, & quod præcipuum est, Nemo vestrum habens negotium audeat judicari apud Prophanos & non apud Sanctos, An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo

(*f*) *Joan.* 13. *v.* 35.
(g) *Jacob.* 4. *v.* 1.
(*h*) *Joan.* 14. *v.* 27.
(*i*) *ad Rom.* 25. *v.* 33.
(*k*) 1. *Corinth.* 6. *v.* 7. 8.

do judicabunt, & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicatis? aut ſic non eſt inter vos ſapiens quisquam qui poſſit judicare inter Fratrem ſuum, (*l*) quippe experientiâ nimis indubiâ compertum eſt, ſummo id Religioſis Communitatibus dedecori eſſe, quin & ruinæ originem, clamante ipſo Domino: Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur & Domus ſupra domum cadet (*m*). Sedium ſuarum aſſiſtricem dignetur Dominus impertiri Communitatum Rectoribus ſapientiam, ut ſubjectam ſibi familiam ſtrictiſſimis charitatis vinculis ſecum continuò nexam in omni tranquillitate fovere valeant, præcludentes aditum diſcordiarum ac contentionum ſcandalis, quæ dum excreſcunt ac ultra clauſtrorum limina progrediuntur, regularis diſciplinæ ſæcularibus detegunt vulnera, ut & prævaricantibus nimia licentia, & Præpoſitis, quibus coërcendi onus

(*l*) *Ibid.* *v.* 1. 2. 5.
(*m*) *Luc.* 11. *v.* 17.

onus incumbit præpoſtera redarguatur in emendandis nævis indulgentia; dumqué corrupti Regularium mores paſſim ob oculos verſantur, ac in utramqué partem plus æquo exagitandi devolutam ad ſe autoritatem neceſſario quodam nexu quispiam Sæcularium ſibi vendicat.

Sancta ſolitudo, ſilentiiqué exacta obſervantia ſint vobis virtutes præ aliis charæ, quippe quæ non utilitate modo præcellunt, ſed ad ſpiritum orationis, quo Viri Religioſi flagrare debent concipiendum fovendumqué imprimis ſunt neceſſariæ. Non Vos facilé Sæcularium tumultibus aut occultis conventiculis commiſceatis, ne vobis indulgentibus ad frangendas Divinas humanasqué leges audactiores fiant, aut quod magis pertimeſcendum eſt, ne diſſolutionis morum, molliorisqué vitæ ac otioſæ ipſi complices ac Duces convertamini in ſal infatuatum ad nihilum valens ultrà, niſi ut ab hominibus conculcetur (n).

Vos

(n) *Math.* 5. *v.* 13.

Vos, qui in abdito gemebundi deplorare deberetis blaſphematum Nomen Domini, indignationemqué Jllius ſuper Populum provocatam, conſtituentes potiús numerum illorum virorum quorum genua non ſunt curvata ante Baal (*o*).

Quæ cum magna ex parte à Superiorum cura ac diligentia dependeant, eorum ſollicitudinem ac vigilantiam præſentibus excitandam intendimus, quibus imprimis ſeriò ac ſeveré attendendum eſt, ut clauſura ab ipſo ex publica via ingreſſu cum omni ſancta cautela, ac ut communis moris eſt, efformata, nec non Religioſæ habitationis externa quoqué præſeferens indicia fideliter ac ſacroſancté obſervetur, ne omnibus indiſcriminatim ad Religioſorum domicilia aditus pateat & quod magis inconveniens eſſet, liber tranſitus ſæcularibus, perſonis promiſcui ſexûs, quovis devotionis etiam ſpecioſo prætextu nullatenus ſuffragante permittatur. Si quando verò intrà domorum Re-

(*o*) 3. *Reg.* 14. *v.* 18.

Religioſarum ſeptá ſivé hoſpites benevo-
los ſivé alios conductitios inquilinos re-
cipere voluerint, ad id ſumma cum cir-
cumſpéctione accedant, ac nonniſi Per-
ſonas Eccleſiaſticas, aut ſaltem probita-
te, vitæqué Chriſtianæ famâ conſpicuas
ad ſecum cohabitandum admittant; præ
oculis continuò habentes hac via vel ma-
ximé diſciplinam regularem enervari, &
non ſiné ſcandalo confabulationibus, com-
meſſationibus aliisqué indecentiis, quæ
hujusmodi proximis familiaritatibus in-
divulſé adhærent, aditum patere.

Sed & alia occurrunt, quæ ad ac-
quirendam conſervandamqué ſanctitatem
efficaciter prodeſſent, amor nempé Vo-
cationis propriæ, exacta officiorum ſibi
impoſitorum, praxiumqué communium
obſervantia, ac in univerſum vita occu-
pata, laboriqué intenta. Videte vocatio-
nem veſtram, Fratres, voſqué non ad o-
tium ſed ad laborem potiſſimum deſtina-
tos recolite. Eſtote imitatores Pauli, qui

non

non (*p*) gratis panem manducavit, ſed in labore & in fatigatione nocte dieque operatus eſt, ne quem gravaret; tum eorum quorum ſequimini veſtigia, qui poſtquam in opere Domini Apoſtolicis laboribus vires animi ac corporis exhauſerint unde eas reficerent, cibum potumque artis alicujus exercitio, vultûsque ſudore quærere non alienum a ſua profeſſione arbitrabantur; monitum Pauli religioſe adimplentes, ſi quis noluerit operari non manducet. Quidquid igitur à functionibus Eccleſiaſticis, cæterisque pietatis exercitiis ſuperfuerit, illud proſicue pro communi utilitate impendite, alii operibus ad pietatem aut eruditionem proprio marte, ſi hæ vobis vires fuerint, elucubratis aut aliunde traductis præter ſpiritualem civilem quoque profectum, inter chariſſimos concives promoventes, alii manuum labore, veſtræ eorumque qui difficilioribus occupati, ætateque ac laboribus feſſi id ſibi per ſe ipſos compa-

(*p*) 2. *ad Theſſalo:* c. 3.

parare non poſſunt indigentiæ ſuccurentes, ut & ſæculi communitates Religioſas inutilé moleſtumqué pondus eſſe quamvis immeritò vociferantis perimportuni clamores obſtruantur, & quod magis noſtro inſtituto congruum eſt, labor feriæqué occupationes eos ad regularém ſollicitudinem retrahant, quos vita otioſa, imperfectionibus plena ac tædioſa diverſis ex fontibus ſæculo immiſcet.

Hinc tamen facile colligetis præſentem Noſtram animadverſionem ad moderandum exigendarum eleemoſynarum frequentiam maximé collimare, nec eos tantum ſpectare, qui in hac Regia Civitate oſtiatim mendicantes domos ac plateas circumeunt, verum eos quoqué, qui in villas locaque diſſita eleemoſynas à Fidelibus petituri excurrunt, illi namqué ab obſervantia regularis diſciplinæ ſoluti, vigilantiæ ſuorum Superiorum ſubducti, inter varia conſtituti pericula, opportunîs verò deſtituti remediîs, redeunt onerati duplici ſarcina, alii quidem

ad

ad ſubveniendum in temporalibus ſuorum neceſſitatibus proficuâ, (ſi id tamen certo certiús aſſerere liceret, veréqué communitatum providerentur neceſſitatibus, quarum dum partem humani auxilii maximé indigentem infirmos videlicet alicubi reſpicimus, religionis non minus ac humanitatis motibus ducti temperare Nobis non poſſumus, quin primævam juxtà ſanctiſſima inſtituta charitatem nimìs apud nonnullos refriguiſſe inclamemus, nonqué ſolum negligentiam ſed nonnullarum privatarum perſonarum luxum, exceſſus, diſcordiasqué, quibus alendis paſſim communia emolumenta cedunt ſummo cum animi noſtri mærore arguamus) alii ſpiritui nociva propter diſſipationem animi, contractam cum ſæcularibus familiaritatem, faſtidium in vita ſolitaria,&conſvetis pietatis exercitiis,quæ dum pedetentim ac ſucceſſivé propagantur, religioſum ſenſim relaxant ſpiritum, ac, ubi exemplaris vita venerationem conciliare deberet, diſſipata ludibrio, exponit ac contemptui. Qua-

Quamobrem hifce obviam effe omninò eundum, modumquè mendicationibus imponendum effe pernecessarium existimamus præsertim ubi adsunt sufficientes proventus pro subministrandis Familiæ alimentis, subeundisqué necessariis sodalitatum impensis, si quæ sunt utili-; ter in Ecclesiis Regularium introductæ ubi verò ex pia Fidelium liberalitate vivitur, tales eligantur viri, qui non in diversoriis aut alio quovis loco sed in Parochiali potiús residentia, quantum illis licuerit pernoctantes cum populi ædificatione, absqué sui statûs dedecore munus istud perdifficile sobrie, justé & pié expleant, spem totam non in extorsione, importunis precibus aut abblandientibus ineptiis, quibus cum detrimento domus suæ circumveniuntur rudiores, sed in Divinæ Providentiæ auxilio & pietate Fidelium reponentes.

Quodsi aliàs domo egredi coegerit charitas aut necessitas compulerit, non sine socio inter populum compareatis, non

non in alieno a ſuo ſtatu habitu, non tempore incongruo, non inter muliebrem ſexum, nec iis in locis quæ vel periculo exponunt, vel ſcandalum præbent aut dedecoris notam inurunt, in quo, ubi facultas adſit, nec Procuratoribus, nec Confratrum Viſitatoribus, quod ex inſtituto ſibi licere, quinimo incumbere nonnulli prætexant, indulgendum eſſe cenſemus. Omnino igitur tempeſtivé & ante ſolis occaſum Vos domum recipiatis, niſi reſpectivorum accedente conſenſu, morbo gravi decumbentibus aut moribundis charitatis Chriſtianæ officium præſtare incitati fueritis. Quamdiu autem inter Sæculares commorari Vos neceſſe fuerit, moderatione ac prudentia, gravitate ac modeſtia potiús, quam quodam multa loquendi pruritu aut inepta hilaritate benevolentiam conciliare ſatagatis. Sit ſemper ſermo veſter conditus ſale prudentiæ, ut quomodo Vos unicuiqué reſpondere deceat ac opporteat, continuò animadvertatis, devitantes pro-

ſanas

ſanas vocum novitates & oppoſitiones fal ſi nominis ſcientiæ (*q*) & de iis potiùs paſſim placaté ac modeſté ſermocinemini, quæ in ſchola Chriſti pia contemplatione didiciſtis, non quæ negotia ſæculi, aut regnorum concernunt regimen politicum, JESU Chriſti exempló, qui inter Fratres litigantes arbiter ſedere noluit, & de jure Principum peremptoriè pronunciavit, reddenda eſſe, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO. Quare ſi qui liberiores ſæcularium amicitias quærere, eorum domos frequenter inviſere & quod indecentius eſt, à modeſtia ſtatui ſuo conveniente deviare aut negotiis publicis, quæ penitus non norunt, noſſe ſe tamen imprudenter credunt, immiſcere ſe deprehenſi fuerint, admonitione congrua imò etiam facultatis exeundi denegatione in officio contineantur.

Cultum DEO & fideliter reddere,

 &

(*q*) 1. *ad Coloſſ:* 4. 6. 1, *ad Tim:* 15. *v.* 20.

& ſtudioſé promovere ſatagite, ſolliciti quatenus intacta maneant, quæ Divina ſivé Eccleſiaſtica inſtitutione obſervanda præcipiuntur; nihil autem introducatur novum, nihil in ſacris commiſceatur inſolitum, quod dum rudioribus ſapit eosquè inani mulcet ſtupore ac admirationé, impiis ac adverſariis ſcandali irriſionisqué cauſam præbet, probos verò & rerum gnaros triſtitiâ afficit, ac ſæpenumero ad indignationem provocat. Adoretur igitur DEUS à populo in ſpiritu & veritate (r) virtute nempe ac pietate, quæ interius radicata ad omnia utilis, in operibus bonis appareat digna, quæ ſpem ingerat futuræ vitæ, & præſentem felicitet. Jpſi dum tremendum ſimul ac auguſtiſſimum Sacrificium peragitis, eo religionis ſpiritu imbuti ad illud accedite, & accedentes celebrate, ut modeſtia, gravitate, omnibusqué veræ devotionis exterioribus indiciis edoceatur Plebs Chriſtiana, rem ex inſtitutione JE-

(r) *Joan:* 4. *v.* 24.

JESU Christi in ejusque fieri commemorationem, ac unctione interna persentiscat in suorum peccatorum remissionem denuo effundi preciosum Redemptionis sangvinem (s). Oblatio quippe justi, ut ait Ecclesiasticus (t) impingvat Altare, & odor svavitatis est in conspectu Altissimi: Memoriam ejus non obliviscetur Dominus, ex adverso autem per Amos Prophetam protestatur DEUS, quod odiô habeat, & projicere velit festivitates Prævaricatorum, nec sibi in odore ejusmodi cætuum complacere, quodque & si obtulerint holocautomata & munera, non illa suscipiet ab his quorum cognoverit scelera & peccata fortia (u). Procul absit præpostera, qualem nonnunquam observare licet festinatio, quæ quantumvis tepidis & religiosis non parúm arrideat, de Majestate nihilominús Nostri sacrificii plurimúm diminuit ac

 effi-

(s) *Lucæ*: 22. *v*. 14.
(t) *Eccl*: 35. *v*. 8. 9.
(u) *Amos*. 9. *v*. 12. 21. 22.

efficit, ut vix ac ne vix quidem integré, decenter, atqué cum aliquo fidei ac pietatis ſenſu peragi poſſit.

Si quospiam Sacerdotes extraneos in Eccleſiis veſtris comparere contigerit, volumus ac mandamus, ne ad Divina celebranda Myſteria, & ſi forſitan aliunde ex Perſona noti, priusquam Noſtrum exhibuerint atteſtatum, admittantur, ne nimirum, quod Nobis omninò cavendum eſt, ii id ſacrilegé attentare præſumant, quos morum licentia, cenſurarumqué rigor ſtricte jubet ab altari arcere ac removere.

Publicæ Devotiones graviter ac cum ea exactitudine peragantur, qualis decet locum ſanctum & domum orationis, ad quam Plebs Chriſtiana Religionis impulſu confluit; non ſe Plebs immiſceat Miniſtris laudes Domini decantantibus, verum ſoli Sacerdotes Domini ſancta ſanctorum introeant, ſtentqué inter veſtibulum (locum ſcilicet deſtinatum Fidelibus) & Altare vota eorum

ad

ad conſpectum Altiſſimi delaturi & piis clamoribus miſerationes Ejus imploraturi. Quæ ut ordinaté fiant, ex animo cupientes, volumus accuraté & exacté edoceri, quæ qualesqué in veſtris Eccleſiis abſolvi ſoleant devotiones, tùm de temporibus, quæ pro ſingulis deſtinantur. Undé Superiores Ordinum, & qui Capellanorum munere penes Monialium Eccleſias funguntur, de præfatis Nos omnibus quantociùs certiores faciant, æqué ac de Feſtivitatibus, quibus ex univerſali Ordinarii Paſtoris nuper emanata diſpoſitione, ſivé ex ſpeciali Ejusdem conceſſione juſtis de cauſis favorabiliter obtenta Sanctiſſimum Sacramentum publicæ Fidelium venerationi exponere elegerunt. Curent præstereà opportuné exhortari populum, ut prout decet morigeratas oves, vocem Paſtoris audiens venerabundus excipiat, quæ ab Eo, aut Ejus vices gerentibus providé ac ſapienter conſtituuntur, ne ſit adeò

ſollicitus de Devotionum numero, quive modus in iis abſolvendis ſit adhibendus, ſed potiús ſupplex ac frequens ad eas quæ peraguntur conveniat, iiſque intimo pietatis ſenſu, & compunctionis ſpiritu religioſé aſſiſtat.

Verbi Divini Prædicatio & Sacramenti Pænitentiæ adminiſtratio excelſa ſunt & perhonorifica munia, quibus vos condecorare ſolent ii, qui habentes ſibi concredita eloquia DEI & culturam Vineæ Domini Sabaoth ac Ovilis Chriſti Paſtoratum, in partem vos ſollicitudinis adſciſcunt; verúm quantò altiora hæc ſunt, tanto ardua magis, imò etiam ipſis Angelicis humeris formidanda; legatione quippe in his pro Chriſto fungimur, Chriſti Præcones ac Miniſtri Myſteriorum DEI quatenus & peccatores DEO reconcilientur, & juſti abundantes in omni opere bono fideliter perſeverent (z).

Quamobrem noverint omnes Religio-

(z) 2. *ad Cor:* 5. *v.* 20.

giosarum Familiarum Superiores eorum conscientias strictissimé onerari, ut de sui gremio non alios ejusmodi exponant officiis, nisi Viros probatæ scientiæ ac pietatis, qui capaces sint & parati semper reddere rationem de ea quæ in illis est spe (*a*) & eos qui contradicunt arguere (*b*) & de quibus minimé illud Evangelicum dictum verificetur quod sint Duces cæci cadentes in foveam ac infeliciter alios in idem præcipitium conijcicientes. Jlli verò imprimis quibus munus prædicandi fuerit commendatum, non priùs juxta admonitionem ipsis Apostolis datam aggrediantur opus prædicationis, donec induantur virtute ex alto, (*d*) scilicet nemo vestrum audeat prædicare Evangelium nisi fueritis repleti Evangelico spiritu, intimé convicti de veritatibus Populo annunciandis,

 &

(*a*) 1. *Petr*: 3. *v*. 15.
(*b*) *ad Tit*. 1. *v*. 9.
(*d*) *Lucæ*. 24. *v*, 29.

& nisi opere expleveritis, ad quæ adimplenda reliquos adhortabimini „ Do-
„ ctor namqué Concionatorve (verba
„ sunt aurei eloquii S. Joannis Chriso-
„ stomi) omnibus virtutibus debet esse
„ excultus. Debet pauper spiritu esse,
„ ut avaritiæ studium atqué omnem quæ-
„ stûs cupiditatem libere reprehendat.
„ Debet perpetuo & sua & aliena pec-
„ cata lugere, ut eos exagitet qui ante-
„ quam peccant, peccare non verentur,
„ & ubi peccaverint, dolorem non con-
„ cipiunt scelerum, quæ admiserunt. De-
„ bet esurire & sitire justitiam ut ope-
„ rum bonorum studio langvescentes ex-
„ citet Verbo DEI, & exemplo suo ac-
„ cendat. Debet esse mansvetus, ut a-
„ metur potiús, quàm timeatur. Debet
„ esse misericors ergà alios & severita-
„ tem sibi adhibere. Debet esse mundo
„ corde, ut ne cogitationes quidem ina-
„ nes & inutiles hujus Sæculi suscipi-
„ at, nedum sæcularibus negotiis se
„ implicet. Debet esse pacificus ut po-

„ pu-

„ pulus quem docuit ſollicitus ſit ſerva-
„ re unitatem in vinculo pacis. Debet
„ eſſe paratus ad omnes res difficillimas
„ pro gloria DEI proqué Eccleſia feren-
„ das, non inani quodam animi impe-
„ tu, ſed ſolida veraqué conſtantia di-
„ gna Martyribus. „ Similia his habent, qui non immeritò eximii habentur Præcones Evangelii & omnium Prædicatorum norma, Baſilium intelligimus in ſua Theologia, Gregorium Nazianzenum, in Epiſtola de vitæ ſolitudine ad præfatum Baſilium, itemqué Gregorium Magnum in libro Paſtorali ac alibi, quos relegite, diurna nocturnaqué verſate manu. Quod ſi hac ſanctitate & interna charitatis unctione fueritis deſtituti, eritis velut æs ſonans aut cymbalum tinniens (e) & aure quidem ut olim obdurati Jſraelitæ verba veſtra excipiet Populus, ſed non intelliget nec ſanabitur à domino; Jnſuper illa Pauli objurgatio facta Iudæis ſupra Gentes glo-

(e) 1. *ad Cor.* 13. v. 1.

gloriari cupientibus, non incongrué in vos detorquebitur. Quod alios docentes à tramite veræ ſcientiæ deflectitis, quod prædicando, non eſſe injuriâ afficiendum proximum, de propria juſtificatione non eſtis ſolliciti, & cum in Univerſum contra Idola ac omnem ſuperſtitionem inſurgitis, ipſi idola hujus Sæculi colitis (*f*) aut illud quod per Pſaltem peccatori dixit DEUS: Quare enarratis juſtitias meas & aſſumitis Teſtamentum meum per os veſtrum, vos verò odiſtis diſciplinam & proieciſtis ſermones meos retrorſum (g). Jn ipſa autem Evangelij annunciatione procul ſit à vobis quod nonnullis Cretenſium ementitis Apoſtolis vitio vertebat Doctor Gentium, quia docerent, quæ non oportet turpis lucri gratia, ſed loquimini ſecundúm commendationem ab eo factam Timotheo, quæ decent ſanam doctrinam, verbum ſanum, irreprehen-

ſibi-

(*f*) *Rom.* 2. *v.* 21.
(g) *Pſal:* 49. *v.* 16. 17.

ſibile, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de vobis (*h*). Exponite Fidelibus Religionis Noſtræ Dogmata, frangentes panem Parvulis, docete eos legem Domini, ut eam meditari, diligere & adimplere aſſveſcant; inſtruite eos ſecundum præceptum Apoſtoli (*i*) in dignoſcendis diverſorum ſtatuum obligationibus ne, dum quibusdam exterioribus pietatis praxibus adhæreſcunt, in iis appareant ſegniores, ad quæ Divina vocatione deſtinantur, & ad quæ ſivè propria electione, ſivé Superiorum poteſtatum voluntate obſtringuntur, annuntiate Populo Domini ſcelera ejus, ut in toto corde converſus ad DEUM ſuum digna pænitentiæ opera exerceat. Ponite ante oculos eorum pericula Mundi & laqueos Sæculi, quibus inconſiderati, minus cauti, miſeré irretiti pereunt, hac via quippé tanquam ſpeculatores in Domo Domini

(*h*) *ad Tit. c.* 1. *v.* 11: & 2. *v.* 1. 8.
(*i*) *ad Tit.* 1. & 2.

mini conſtituti ſalvabitis animas, nec pereuntium ſangvis de manu veſtra requiretur (*k*) Frequenter eos in viam rectam reducite, quæ ducit ad vitam, oportuna & evitandi peccata & virtutis acquirendæ ſubminiſtrando media, omnia autem præfata fiant non in amaritudine animi, aut zelo indiſcreto, ſed inſtando oportuné, arguendo, obſecrando, increpando in omni patientia & doctrina. Quemadmodum alium dilectum diſcipulum Timotheum nempé, non ſemel a Nobis in medium productus, S. Paulus facere commonuit (*l*) non in perſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis (*m*). Non ea adhibendo arma ac ſuæ doctrinæ fulcimenta, quæ carnalia ſunt, ſed qualia militiæ noſtræ convenire deprehenduntur, videlicet potentia DEO (*n*). Quamobrem

(*k*) *Ezech:* 33. *v.* 8. 9.
(*l*) 2. *ad Tim.* 4. *v.* 2.
(*m*) 1. *ad Cor:* 2. *v.* 4.
(*n*) 2. *Cor:* 10. *v.* 4.

obrem prorſus abſtinete ab illis ſpeculationibus quæ potiùs dicentis animum valent inflare, quám ædificare Auditores, aut iis argutiis, quæ in luſu verborum inepto ſitæ ſunt, miniméqué aut loci Maieſtati, aut ſacræ functionis gravitati congruunt, né de Vobis verificetur quod de falſis quondam dictum eſt Prophetis. „ Non miſi eos, neqné locutus „ ſum ad eos, viſionem mendacem, & „ ſeductionem Cordis ſui prophetant. „ (o) Fontes, ex quibus veſtras eruere debetis probationes, ſint Eccleſiæ, quæ Columna & Firmamentum veritatis eſt, deciſiones; SS. Patrum elucubrationes, in quibus hodiedum illa vis continetur & ſpiritus diffunditur, cui impotens quondam ceſſit ſcelus, ſubjugataqué ſunt corda Domino; præſertim autém Divina Scriptura, in qua & lex & obſervandæ legis adæquatiſſima motiva continentur, ut ii qui accipiunt à Nobis verbum auditus DEI, non ut verbum Hominum, ſed

(o) *Jerem:* 14. & 14.

sed (sicuti veré est) verbum DEI, (p) per profanas vocum novitates minimé decipiantur. Quæ cum ità se habent, ne molesté feratis, si pro munere quo stringimur juxta præscriptum Ecclesiasticæ Disciplinæ in Personas Concionatorum, illorumquè mores & doctrinam sedulò inquisierimus, ac ad Ecclesias in quibus Verbum DEI á Vobis Populo annuntiatur, certos destinaverimus Viros, qui omnia diligentissimé animadvertent, Nobisqué deferent, non malevolentia: reprehendendiqué studió ducti, quod utpoté à charitate Christiana alienum, Nobis nullatenus arrideret, sed si quo zelum nostrum & authoritatem convertamus, opportunum deprehenderint, nos quantocius edoceant ac commonefaciant.

Non minoris momenti est Sacramentum Pænitentiæ, ad quod administrandum dum accedimus, Mediatoris certé DEUM inter & Peccatores vice fungimur. Et primus ille Mediator quidem

(p) 1. ad Tess. 2. v. 13.

dem Homo JESUS Chriſtus pro Nobis interceſſit ex quo dedit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus (q) nos verò inveſtivit ſuperna poteſtate per Clavium Regni Cælorum traditionem, ut ſi quando deploranda neceſſitas ligare compulerit, ligaremus, reliquos verò ſolvendo, oblati pretij participes efficeremus. Recta itaqué judicate Filii Hominum (r) omnia appendentes ad ſtateram Sanctuarii, nullum unquam appareat reſpectus humani veſtigium, nullum temporalis commodi aut propriæ utilitatis incentivum, amoveantur principia laxiora Moralis doctrinæ procul, né, dum hæc ab Eccleſia fulminantur tanquam peſtifera morum corruptela, & theoreticé improbantur, cum Fidelium ſcandalo pænitentium ſimul ac Miniſtrorum irreparabili ruina, dedecore, ac maximo Eccleſiæ nocumento, inconſideraté imo impié reducantur ad praxim.

Hæc

(q) 1. *ad Tim:* 2.
(r) *Pſal:* 56. *v.* 2.

Hæc veró quo felicius evitentur, duo ſunt vobis maximoperé neceſſaria. Apoſtolici videlicet operis baſes ac fundamenta; vita & doctrina. Vita ad faciliùs perſvadendum & utiliùs in convertendis peccatoribus navandam operam. Quanto enim, ut ait S. Carolus Boromæus (*s*) magis omni virtute præcipueéqué charitate Paterna, zeloqué ſalutis animarum ipſi præcellentiores eritis, tanto eritis & aptiùs inſtrumentum bonitatis DEI, Doctrina, ut inter lepram & lepram diſcernere valeatis, peccatores Apoſtolico dolo capere poſſitis, erudire ignorantes, hæſitautes ac dubios reſolvere, verbo, omnibus dare ſalutaria monita, media præſcribere congrua, convenientes ſatisfactiones imponere, ſervatis ſemper regulis juſtitiæ & charitatis, nec transgrediendo limites, quibus data vobis poteſtas, ſivé à Jure communi, ſivé per ſtatuta Diæceſana, ſivé ex voluntate pro tempore exi-

(*s*) *Inſtruc: de Sacr:*

xiſtentis Præſulis coërcetur & circumſcribitur.

Intereà ſilentio præterire non poſſumus, quin dolorem noſtrum, quem ſæpenumerò concæpimus Vobiſcum nunc communicemus, imo etiam pro virili reprehendamus extremam illorum imprudentiam ac ne dicam impudentiam ac cæcitatem, qui dum regimini numeroſarum familiarum præſunt, ſivè in propriis, ſivé in Parochialibus Eccleſiis, in quibus Sæculari Clero in ſalutis animarum opere manum præſtarent adjutricem perhumaniter invitati ſunt, tales exponere audeant & ſoleant Miniſtros, quos minus in ſcientia verſatos proprio examine & judicio deprehenderunt, quaſi verò magis doctos ac ſagaces ſpeculationes Scholaſticæ aut temporalium adminiſtratio, quam animarum regimem requireret. Cui, quo certiùs conſulatur, Examinatores Confeſſariorum ad ſingulas Communitates Religioſas authoritate

Nostra destinabimus, non aliis nisi Eorum prævio examine ac testimonio facultatem pro excipiendis confessionibus concessuri.

Tremendum itaqué ante oculos talium ponimus Judicium, ut si quos minùs aptos forté invenerint, eos addicant pietatis officiis, sic quippé flendo & orando ac propitiatorium Sacrificium offerendo & sibi & aliis erunt proficui. Tantis verò periculis non objiciant nisi fortissima habentes pectora, doctos nempé prudentes & egregiis instructos virtutibus.

Et quoniam Monialium quo sublimior est gloria, eo major debet esse cura, impares licet meritis pares tamen charactere & desiderio per os vestrum cum Cypriano eas alloquimur „ ut quæ se
„ Christo dicaverunt & a carnali concu-
„ piscentia recedentes, tàm carne quàm
„ mente se DEO devoverunt; consument
„ opus suum magno præmio destinatum,

„ nec

„ nec placere cuiquam niſi Domino ſtu-
„ deant. (t)

Nolumus enim ut eæ, quas cum Apoſtolo deſpondimus uni Viro Virgines caſtas exhibere Chriſto (u) quoquomodo ab illarum ſegregentur ſocietate, quæ ore Domini appellantur Virgines prudentes, geſtantes plenas bonorum operum lampades, ac ſemper paratæ ad adventum Domini, quæ propterea admiſſæ ſunt cum Sponſo ad nuptias (w). Quamobrem in id incumbite ſivé pro authoritate Superioratus, ſivé pro poteſtate exhibiti illis ſpiritualis obſequii (quemadmodum in hac Civitate præſertim fieri conſvevit) ut eas à Sæculi converſationibus & curioſitatibus avocare, ad unionem internam & charitatem conſervandam, Regularem diſciplinam illibaté cuſtodiendam ſivé reducendam inducere, Clauſuræ cuſtodiam, Divinorum

(t) *de diſcrip: & Habit: Viig:*
(u) 2. *ad Cor. c.* 11.
(w) *Math:* 25.

Officiorum devotiſſimam in communi recitationem illis inſpirare poſſitis; verbo, ſatagite eas inducere, ut DEO vacent & ſibi, ſtudeant ſolitudini, pernóctent in oratione, & his, juxta cujusvis Ordinis Regulas, viriumqué poteſtatem, jungant laborem manuum, non ſolum ad evitandum otium, vitamqué tædioſam propulſandam, verum etiam ut hac via reddantur in vita ſocietati utiles, ac ſuppleant quæ ſibi ob exiguos ſtabilium fundorum reditus deficiunt.

Deniqué quemadmodum ex intimis præcordiis cupimus ut inter Sæcularem & Regularem Clerum ſollicité ſervetur unitas ſpiritûs in vinculo pacis, ita vos verbis ejusdem Apoſtoli quantum poſſumus adhortamur, ut cum omni humilitate & manſvetudine, cum patientia ſupportetis vos invicem in charitate, cum ſitis unum corpus & unus ſpiritus ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ (*x*). Ne vos in vicem ſcindant per

(*x*) *ad Ephes.* 4. *v.* 2. 3. 4.

per importunas ſuggeſtiones avocatæ, tot ſanctionibûs Canonicîs Parochialibus cautæ Fidelium ſepulturæ, Juriumquè Parochialium usurpatio. Datæ vobiſ mutuo dextras, præſertim ubi ad ſuccurrendum animarum ſaluti vocati fueritis, ut junctis viribus & evellantur vitia, & ædificentur jàm radicati in fide, ac implantentur novellæ palmites Eccleſiæ, alioquin cum ſummo ſanctiſſimæ vocationis noſtræ dedecore, magnoquè Fidelium ſcandalo de Nobis verificaretur. Nos eſſe Altaris Miniſtros, qui, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ JESU Chriſti (y).

En igitur hæc pauca Noſtris erga Vos amoris indicia non enim vel dominari cupimus in Cleris, aut veſtris detrahere prærogativis atquè Privilegiis; quodſi aliqua vobis commendanda cenſuimus, hæc ea ſuſcipite charitate, quæ Nos indubiè ad ſcribendum impulit, ſimul-

(y) *ad Filip*: 2. 21.

mulqué memineritis potiús fuscipiendam admonitionem à fuis quàm contemni, diffamariqué ab alienis, & meliora vulnera esse diligentis, quam fraudulenta oscula odientium (z).

(z) *Prover:* 27. *v.* 6.

Gaspar Episcopus Officialis Generalis Varsaviensis mpp.